



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Liber Qvintvs, De potestate Pontificis temporalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

*De Potestate Pontificis in rebus secularibus tractatus  
vniuersalis aduersus Guillelmum Barclaium productus  
599  
vniuersalis  
1681 in 8mo.*



# LIBER QVINTVS DE POTESTATE PONTI- FICIS TEMPORALI.

## CAPVT PRIMVM.

*Proponitur questio de potestate temporal.*

**R**ESTAT POSTREMA PARS DISPUTATIONIS de Pontifice, que est de potestate ipsius temporal, de qua quidem questione tres inueniuntur auctorum sententiæ. PRIMA est, summum Pontificem iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis. Ita docent Augustinus Triumphus in summa de potestate Ecclesiæ q. 1. art. 1. Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ, cap. 13. & multi Iureconsulti, vt Hostiensis in cap. Quod super his, de voto & voti redemptione, Panormitanus in cap. Nouit, de iudiciis; Sylvester in summa de peccatis, verbo Papa, §. 2. & alij non pauci. Quin etiam Hostiensis vltterius progreditur. Docet enim per Christi aduentum omne dominium principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam, & residere in summo Pontifice, vt vicario summi & veri Regis Christi, & ideo posse Pontificem regna infidelium iure suo donare quibus voluerit fidelium.

ALTERA non tam sententia, quàm hæresis in altero extremo posita duo docet. PRIMO, Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino nullam habere temporalem potestatem, nec posse illo modo imperare principibus secularibus, nedum eos regnis, & principatu priuare, etiam si illi priuari alioqui mereantur. SECUNDO docet, non licuisse Pontifici aliisque Episcopis accipere temporale dominium, quod nunc habent in

BER

quasdam vrbes, & prouincias, siue eiusmodi dominium donatum eis fuerit, siue illud vsurpauerint. Prohibetur in diuinum, vni homini gladium spirituale, & temporalem simul committi. Ita docent hæretici omnes huius temporis, ac præcipuè Caluinus lib. 4. Institut. cap. 11. §. 8. 9. 10. 11. 12. & Petrus Martyr in cap. 13. ad Rom. ac Brentius in Prolegomenis contra Petrum à Soto; Magdeburgenses autem Centur. lib. 2. cap. 4. colum. 435. ponunt inter notas Antichristi, quod Pontifex duos gladios gerat vndecunque illos habuerit. At deinde Centur. 8. 9. 10. & 11. cap. 10. in vitis Pontificum debet maximè eos reprehendunt.

**TERTIA** sententia media, est Catholicorum Theologorum communis, Pontificem, vt Pontificem, non habere directè, & immediatè vllam temporalem potestatem, sed solum spirituale; tamen ratione spiritualis habere saltem indirectè potestatem quandam, eamq; summam, in temporalibus. Ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. cap. 4. quæ sequitur Alexander Aleris 3. p. summæ q. 40. in 5. & 4. p. in explicatione Canonis Missæ, in illud, & pro Rege N. Item S. Bonauentura in lib. de Eccles. hierar. p. 2. cap. 1. Dumtaxat in lib. de origine Iurisdictionum q. 3. in fine. Petrus ab Albarico in quæst. de se sumpta, vtrum Petri Ecclesia fide committitur. Ioannes de Parisio in tract. de potestate Regia & Papali, ca. 6. & 7. Iacobus Almain in tract. de suprema potestate Ecclesiastica cap. 6. Gabriel Biel in explicatione canonis Missæ lect. 23. Henricus de Gandauo quodlib. 6. q. 23. Ioannes Diedo lib. 1. de libertate Christiana, cap. 2. Ioannes de Turro crema lib. 1. summæ, cap. 113. & sequentibus, Alberus Pighius lib. 3. hierar. Eccles. Thomas Waldensis lib. 2. doct. fid. art. 3. cap. 76. 77. 78. Petrus de Palude in lib. de potestate Ecclesiastica, Gauentur in Apologia cap. 13. ad 8. Franciscus Victoria relectione 1. q. 6. de potestate Eccles. Dominicus à Soto in 4. d. 25. q. 1. artic. 1. Nicolaus Sanderus lib. 2. cap. 4. visibilis Monarchia. Numerus Relect. in cap. Nouit, de Iudic. Notab. 3. Antonius Coccinensis lib. 1. q. 57. dub. 3. & alij plurimi.

De S. THOMA, quid senserit, non est tam certum. Nam in fine secundi sententiarum dicit, in Papa esse apicem vtriusque potestatis. Tamen in cap. 13. ad Rom. dicit, clericos exemptos à tribus priuilegio principum secularium. & 2. 2. q. 40. art. 1. dicit

dicit, prælatos posse disponere de bellis solum quatenus ordinantur ad bonum spirituale, qui est finis potestatis ipsorum. Ex quibus colligitur, eum non dissentire à ceteris Theologis.

Nos ergo tria tractabimus. **PRIMO** ostendemus, Pontificem iure diuino non habere directè temporalem potestatem. **SECUNDO**, habere eum aliquo modo, id est, ratione suæ spiritualis Monarchiæ, summam potestatem etiam temporalem. **TERTIO**, non esse contra ius diuinum, quod Episcopi habeant etiam actu, & directè iurisdictionem temporalem in vrbes & prouincias sibi donatas à Regibus, vel alio iusto titulo acquisitas.

## CAPVT II.

*Papam non esse Dominum totius mundi.*

**V**OD ad primum attinet, tria ordine probabimus. **PRIMO**, Papam non esse Dominum totius orbis. **SECUNDO**, non esse Dominum totius orbis Christiani. **TERTIO**, non esse Dominum vllius prouinciæ, aut oppidi, nullamque habere iure diuino iurisdictionem merè temporalem. **PRIMUM** docet expressè Ioan. de Turrecremata li. 2. summæ de Ecclesia c. 113. Papa, inquit, non sic est dicendus habere iurisdictionem in temporalibus, iure Papatus, ut dicendus sit totius orbis Dominus. Sic etiam Franciscus Victoria Relect. 1. de potestate Ecclesiæ q. 6. Papa, inquit, non est orbis Dominus. Idem alij docent, & probatur, Papa non est Dominus earum prouinciarum, quas obtinent infideles; nam in primis Dominus Ioan. vlt. solum oues suas Petro commisit: infideles autem nõ sunt oues. **DEINDE**, non potest Papa iudicare infideles. I. Cor. 5. *Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare?* **DEINQUE**, infideles, principes sunt veri & supremi principes suorum regnorum; nam dominium non fundatur in gratia, aut fide, sed in libero arbitrio, & ratione: nec descendit ex iure diuino, sed ex iure Gentium, ut patet ex eo quod Deus approbat regna Gentilium in vtroque Testamento. Dani. 2. *Tu es Rex Regum, & Deus cæli dedit tibi regnum, & imperium, &c.* Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* **NOTA**, *Reddite*, non donate, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ iure

iure illi debentur. & Rom. 13. *Reddite omnibus debitum tributum, tributum; cui & sedit, & sedit, &c.* Et ius debent etiam propter conscientiam obedire principibus Ethnicis. At certe non tenemur in conscientia obedire illi qui non est verus princeps.

Si igitur non est Papa Dominus earum provinciarum, quas obtinent infideles, sequitur, eum non esse Dominum totius mundi, nisi ex provinciæ ad mundum non pertinere dicatur. **DICENT**, tenemur obedire principibus infidelibus, quia omnes principes sunt vicarij Papæ. **AT CONTRA**, nam Papa non velle habere tales vicarios, etsi posset, libenter dederit in fidelium principibus fidelibus. Ridiculum autem est, dedisse Deum Papæ ius in regna totius mundi, & non dedisse illi vnquam facultatem vtendi eiusmodi iure.

**AT, INQUIENT**, Papa est Monarcha spiritualis in toto orbe terrarum, & tamē nunquam potuit exercere hunc principatum in toto orbe terrarum. **RESPONDEO**, Papa est Monarcha spirituales in toto orbe, non quod præsit omnibus hominibus, qui sunt in toto orbe, sed quod præsit omnibus Christianis toto orbe diffusis. Et rursum etiam ex hypothesi, nimirum quia si totus mundus conuerteretur ad fidem, toti mundo planè spirituali iurisdictione Papa præsidet. Denique quod ius habeat mittendi per totum orbem prædicatores Euangelij.

**AT** Alexander VI. diuisit orbem nuper inuentum Regionibus Hispaniæ & Lusitaniæ. **RESPONDEO**, non diuisit ad eum finem, vt Reges illi proficiscerentur ad debellandos Reges infideles noui orbis, & eorum regna occupanda, sed solum vt adducerent fidei Christianæ prædicatores, & protegerent, ac defenderent tum ipsos prædicatores, tum Christianos ab eis conuersos. Et simul vt impediret contentiones, & bella principum Christianorum, qui in illis nouis regionibus negociari volebant.



CAPVT

CAPVT III.

*Papam non esse Dominum totius orbis Christiani.*

**A**M verò, quod secundo loco propositum fuit, non esse Papam Dominum totius orbis Christiani, docet Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 4. Terrena, inquit, potestas caput habet Regem, spiritualis potestas habet summum Pontificem. & dicitur Ioannes Driedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 2. Christus, inquit, cum præfecit Petrum vniuersali Ecclesiæ Pastorem, non simul dedit illi Imperium temporale super vniuersam Ecclesiam, neque enim abstulit Imperatoribus & Regibus sua regna, neque item voluit, vt omnis potestas regalis, proinde ac Ecclesiastica debeat deriuari, & descendere ex potestate Petri. Eadem est aliorum multorum sententia, & probatur PRIMVM, quia si res ita se haberet, & quidem iure diuino, vt volunt, deberet id constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici clauis regni cœlorum. de clauibus regni terrarum nulla mentio fit. traditionem Apostolicam nullam aduersarij proferunt. PRAETEREA, Christus non abstulit, neque aufert regna iis quorum erant; nam Christus non venit destruere ea quæ bene se habebant, sed perficere, ergo quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirit nouum ius ad regnum æternum. Alioquin obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. Et confirmatur ex hymno SEDVLII, quem tota Ecclesia publicè canit:

*Hostis Herodes impie  
Christum venire quid times?  
Non eripit mortalia,  
Qui regna dat cœlestia.*

ITEM si Papa est Dominus totius orbis Christiani supremus, ergo singuli Episcopi sunt principes temporales in oppidis suo Episcopatu subiectis. siquidem id quod est Papa in Ecclesia vniuersa, est quilibet Episcopus in particulari. At Episcopos esse dominos urbium, quarum sunt Episcopi, nec aduersarij

uerfarij concedunt, & est apertè falſum. Vnde AMBROSIVS in oratione de tradendis baſilicis: *Si tributum, inquit, petit Imperator, non negatur, agr̄i Eccleſie ſoluunt tributum. Et infra: Tributum Caſaris eſt non negatur. Eccleſia Dei eſt, Caſari & trique non debet addici.* Et in epiſtol. Athanaſij ad ſollicitam vitam agentes. HOSIVS Epicoſopus ait Imperatori: *Tibi Deus imperium, nobis autem ea quæ ſunt Eccleſie Chriſti commiſit.*

DENIQUE probatur ex confeſſione Pontificum. Leo epiſtola 38. ad Martianum, fatetur Imperatorem Martianum à Deo ad imperium eſſe electum, & epiſt. 43. ad eundem fuerit auctorem imperij Martiani Deum eſſe. Et ſimilia in omnibus ferè epiſtolis ad Theodoſium, Martianum, & Leonem ſubſequenti- uicem ſuccedentes Imperatores ſcribit. GELASIVS in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, quæ habetur etiam in decreto diſt. 96. can. duo ſunt: *Duo ſunt, inquit, Imperator Angeli- quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra- mentalis, & regalis poteſtas, &c.* Vbi notandum eſt, Gelatum non loqui ſolum de executione, ſed de ipſa poteſtate, & auctoritate, ne dicant aduerſarij (vt ſolent) Papam quidem habere vtramque poteſtatem, ſed executionem alii deman- dare.

GREGORIUS lib. 2. epiſt. 61. ad Mauricium: *Poteſta, inquit, ſuper omnes homines dominorum meorum præſentis ſæculi data eſt.* Et clariffimè NICOLAUS in epiſt. ad Michaelem: *Nolite præiudicium Dei Eccleſie irrogare, illa quæ nullum imperio veſtro præiudicium inferit.* Et infra: *Ille mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS. ſic actum præſentis, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis ſeruiſſe præſentibus indigeret, & Pontifices pro curſu temporalium eodem modo rerum imperialibus legibus ſeruentur.* Hic etiam Pontifex non de ſola executione, ſed de poteſtate & dignitate loquitur. Et etiam ſi de ſola executione loqueretur, ad nos ſufficeret. Nam quidquid Imperatores habent, ait Nicolaus, à Chriſto eos habere. Peto igitur, vel poteſtatem ſummam Pontifex auferre à Regibus & Imperatoribus hanc executionem tanquam ſummus ipſe Rex & Imperator, aut non poteſtatem ſi poteſt, ergo eſt maior Chriſto: ſi non poteſt, ergo non habet verè poteſtatem regiam.

Præterea ALEXANDER III. cap. Si duobus, §. denique, extra de appellationibus, rogatus an appellatio à iudice seculari ad Papam teneat, respondet: *Tenet quidem in his, qui sunt nostra temporali iurisdictioni subiecti: in aliis vero secundum iuris rigorem credimus non tenere.* Item cap. Causam 2. extra qui filij sint legitimi: *Nos attendentes, inquit, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, &c.*

Denique INNOCENTIVS III. cap. Nouit, de Iudic. Cùm, inquit, iurisdictionem propriam non sufficimus explere, cur alienam vsurpare vellemus? Vbi Pontifex vsurpationem alienæ iurisdictionis appellat, si temporalem iurisdictionem in Regna Francorù tentaret assumere. Et infrà, non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura. Idem cap. Solità, extra de maioritate, & obedientia: *Ad firmamentum, inquit, cæli, hoc est, vniuersalis Ecclesia, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est, quæ vero carnalibus, minor, Et quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur, &c.* Vbi nota, quemadmodum non est idem sydus Sol & Luna, & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus, ita quoque non esse idem, pontificatum & imperium, nec vnum ab alio absolute pendere. Idem, cap. Per venerabilem, extra qui filij sint legitimi, dicit, Pontificem solum in patrimonio Ecclesiæ plenam habere in temporalibus potestatem: in aliis verò regionibus non item. & ibi: *Cùm Rex, inquit, superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per se ipsum (non tanquam pater cum filiis, sed tanquam princeps cum subditis) potuit dispensare. Tu autem nosceris aliis subiicere, & unde sine ipsorum forsan iniuria, nisi præstarent nobis assensum, in hoc subdere te non posses.*





## CAPVT IV.

*Papam non habere vllam merè temporalem iurisdictionem directè, iure diuino.*

**S**VPEREST nunc, vt demonstramus, Papam directè nullius loci esse Dominum temporalem iure diuino, quod expressè docent Io. de Turrescuetana lib. 2. summæ de Ecclesia, cap. 114. Caietanus in Apologia par. 2. cap. 13. ad 8. & Nauarrus in cap. Nouit, notabili 3. Verba Caietani hæc sunt; Potestas Papæ directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis. Idèd suæ potestati duo conueniunt, primò quod non est directè respectu temporalium: secundò quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia. Id verò hæc ratione manifestè probatur, Christus, vt homo, dum in terris viuere non accepit, nec voluit vllius prouinciæ vel oppidi merè temporale dominium: summus autem Pontifex Christi vicarius est, & Christum nobis representat, qualis erat dum hic in homines viueret, igitur summus Pontifex, vt Christus vicarius, atque aded vt summus Pontifex est, nullius prouinciæ vel oppidi habet merè temporale dominium.

Vtraque propositio huius ratiocinationis probanda est. At primùm **PRIMA** ipsa propositio explicanda, & probanda est. Nam ex hoc principio, quod Christus homo fuerit Rex temporalis, nati sunt duo contrarij errores: hinc enim deducunt quidam tanquam ex præcipuo fundamento, Papam, quæ Christi vicarius, esse Regem & Pontificem simul: è contra autem Wiclefistæ (vt refert Waldens. lib. 2. doctr. fidei, cap. c. 76.) ex hoc eodem principio deducunt Reges esse Pontificibus maiores & digniores, quia Reges sunt vicarij Christi Regis, & Pontifices vicarij Christi Pontificis: Christus autem magis Rex fuit, quàm Pontifex, nam descendit ex tribu Regum Iudæ, & familia Dauid, non ex tribu Leui, & familia Aaron. Ac proinde hæreditaria successione fuit Rex, non Pontifex.

Vt igitur explicetur, & probetur hoc principium, Christus fuisse quidem semper vt Dei Filium, Regem, & Dominum omnium creaturarum eo modo quo est Pater eius, sed hoc regnum æternum esse, & diuinum, & nec tollere dom-

nia hominum, nec posse Pontifici conuenire: fuisse præterea Christum vt hominem Regem omnium hominum spiritua- lem, & habuisse potestatem amplissimam spiritua- lem, & habuisse potestatem amplissimam spiritua- lem in om- nes, tam fideles, quàm infideles in ordine ad salutem æter- nam, ita vt posset eos obligare ad fidem, & Sacramenta sua sus- cipienda, potuisse quoque per suam spiritua- lem potestatem disponere de omnibus rebus temporalibus, prout expedire iudicabat ad finem suum spiritua- lem, futurum etiam post diem iudicij hoc spiritua- le Christi regnum, etiam sensibile & ma- nifestum, & ita inchoatam esse gloriam huius regni in ipso capite nostro Christo, quando à mortuis resurrexit.

Ceterùm hoc etiam non esse regnum temporale, qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia præsupponit resurrectionem: potuisse denique Christum hominem, si voluisset, etsi expedire sibi visum fuisset, accipere regiam auctoritatem; tamen noluisse, & proinde nec accepisse, nec habuisse non solum exequutionem dominij & regni, sed nec auctoritatem, vel potestatem regni vllius temporalis. id quod probatur; nam si habuit, vel ex hæreditaria successio- ne, vel ex electione, vel iure belli, vel dono speciali Dei. Omne enim regnum aliquo horum modorum acquiritur, vel hæ- ditate, vel electione populi, vel iure belli, vel dono superioris.

Non habuit Christus homo regnum hæreditarium. nam etsi descendit ex familia regia, tamen non constat, an ipse es- set magis proximus Dauidi, quàm alij multi, qui de eadem fa- milia erant. & præterea tunc regnum erat ablatum à familia Dauid, idque Deo volente, qui etiam prædixerat ex Iechonia familia, vnde Christus descendit, nullum futurum Regem, ni- mirum temporalem, eo modo quo fuerat Dauid, & alij eius successores. Hierem. 22. de Iechonia sic legimus: *Hac dicit Do- minus, scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat &ltra in Iuda.* Constat autem ex Matth. 1. Christum descendere ex isto Ie- chonia.

Ex quo manifestè sequitur, Christum non potuisse regnum temporale habere successione hæreditaria, nisi falsa esset pro- phetia, quæ disertis verbis prædixerat fore, vt nemo vnquam deinceps haberet potestatem in Iuda, de posteris Iechonia.

*non habuit de honore  
suo hæreditarium*

nec potest responderi, posteros Iechonix habuisse ius regni, non tamen de facto sedisse in solio Dauid. Nam ad quid illud ius, quo nunquam vsuri erant? Et confirmatur ex Patribus, nam Hieronymus in hunc locum, & Ambrosius lib. 3. in Luc. cap. 1. quærunt, quomodo non pugnet hæc propheta Hieremix cum prophetia Gabriëlis Archangeli, qui Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Et respondens, ideo non pugnare, quod Hieremias loquatur de regno temporali & carnali, Gabriel de regno spiritali atque æterni. Quibus consentit AUGUSTINVS lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 7. ubi ait: *Qui populus regnum fuerat amissurus, Christus non Domino nostro non carnaliter, sed spiritaliter regnauit.*

Non etiam Christus fuit Rex temporalis titulo electionis, vt patet ex illo Luc. 12. *O homo, quis me iudicem constituit aut diuisorem inter vos?* hoc est, neque Imperator, neque Republica me Iudicem elegit. Et ex illo Ioan. 6. *Cum cognouisset quid Ioannes, quia venturi essent, & raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Apparet ergo eum noluisse acceptare electionem suam in Regem.

Sed nec iure belli fuit Rex temporalis. nam bellum eius non fuit cum Regibus mortalibus, sed cum principibus cæsarum, vt patet ex Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi emittit foras.* Et Col. 2. *Exspolians principatus, & potestates trahunt confidenter palam, triumphans illos in seipso.* Et Ioan. 1. *In hoc apparuit Filius Dei, & dissoluat opera Diaboli.* Ego iure belli acquisiuit Christus sibi regnum spirituale, vt regnat in cordibus nostris per fidem & gratiam, vbi antea regnabat Diabolus per vitia & peccata.

Quod denique non fuerit Rex temporalis dono Diuini speciali, patet ex illo Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et ibidem: *Regnum meum non est hinc.* Vt enim exponunt Patres, Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus, & Augustinus in hunc locum, & Ambrosius lib. 3. in Lucam prope hunc. Dominus his verbis liberare voluit Pilatum à suspitione, qua credere poterat, se regnum temporale Iudæorum affectare. Itaq; sensus est; Ego quidem Rex sum, sed non eo modo, quo Cæsar & Herodes; nam regnum meum non est de hoc mundo, id est, non constat honoribus, opibus, potentia mundana, &c. Et CONFIRMATUR hæc ratio primò, testimonio

plurimorum auctorum. id enim docet. S. Bonaventura in libro de paupertate Christi, & in Apologia pauperum: Thomas Waldensis lib. 2. doct. fidei, cap. 76. 77. & 78. Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiae, art. 57. Durandus tract. de origine iurisdictionum, quaest. 3. Ioannes Driedo de dogmat. Eccles. lib. 3. cap. 4 par. 1. Abulensis in cap. 20. Matth. quaest. 67. Albertus Pighius lib. 5. de Eccles. hierarch. cap. 3. Adrianus Finus in flagello Iud. lib. 5. cap. 6. Victoria relect. i. de potestate Ecclesiae. Sotus libro 4. de iustitia & iure, quaest. 4. Bartholomaeus Medina in 3. p. q. 59. artic. 4. Nauarrus in cap. Nouit, Notab. 3. numero nonagesimo septimo. Denique ferè omnes interpretes in illud Ioan. 10. Regnum meum non est de hoc mundo. Confirmatur secundò nam Christus nunquam exercuit in hoc mundo regiam potestatem: Venit enim ministrare, non ministrari, & iudicari, nõ iudicare: ergo frustra accepisset regiam auctoritatem; frustra enim est potentia, quæ nunquam redigitur in actum.

RESPONDENT; Christum exercuisse hanc potestatem, quando eiecit de templo ementes oues & boues, Ioan. 2. At imprimis eicere de templo aliquos, non est Regis officium, sed Sacerdotum. Nam si Sacerdotes ipsum Regem, nempe Oziam vi de templo eiecerunt. 2. Paralip. 26. quantò facilius mercatores quosdam eicere potuissent? Sed praeterea sciendum, Christum non eiecisse illos homines ex templo, quasi pontificia, vel regia potestate, sed more Prophetarum zelo quodam diuino, quo Phinees occidit scortatores, & Helias Prophetas Baal. Et propterea Iudæi Domino dicebant: *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* hoc est, vnde sciemus, te esse Prophetam, & à Deo missum cum tali potestate?

Confirmatur tertio eadem ratio. Nam auctoritas regia nõ erat Christo necessaria, neque utilis, sed planè superuacanea & inutilis; nam finis aduentus eius in mundum, erat redemptio humani generis: ad hunc autem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solùm spiritualis. Siquidem per ipsam spiritualem poterat etiam disponere de rebus temporalibus omnibus eo modo, quo iudicabat expedire ad humanam redemptionem. Quòd autem inutilis fuisset Christo talis potestas merè temporalis, ex eo intelligi potest, quod Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deli-

ciarum, opum, & omnium rerum terrenarum, quibus tamen maximè affluunt Reges huius mundi: *Qui enim molles vestiuntur, in domibus Regum sunt*, Matth. II.

Confirmatur quartò ex eo, quod Christus fuit verus pauper non solum quoad usum, sed etiam quoad dominium, sed ex Scripturis probat S. Bonaventura in lib. de paupertate Christi. Quod etiam definiuit Nicolaus III. cap. Exiit, de verb. signific. in 6. vbi dicit Christum docuisse verbo & exemplo paupertatem Religiosorum, quæ caret omni dominio. Clemens etiam V. in Clement. Exiui, de verb. signific. citat Christum fuisse exemplar cœlestis vitæ, qualis describitur in regula S. Francisci. Neq; his repugnat Ioan. XXII. in Enchiridion. Quia quorundã. nam contendit quidem Ioannes, Christum habuisse aliquando loculos & dominium in communi cum Apostolis earum pecuniarum, quæ ipsis dabantur in elemosynam. At non negat aliquando Christum nihil habuisse in communi. & apertè docet Christum exemplo docuisse vitam religiosam, quæ caret omni dominio saltem in particulari. Quod si Christus caruit aliquando omni dominio, quomodo fuit semper Dominus temporalis omnium terrarum?

Confirmatur vltimò ex eo, quòd omnia ferè loca Scripturæ, vbi de regno Christi agitur, intelligi debent necessitò de regno spiritali & æterno, ac proinde non potest ex scripturis deduci, vllum fuisse Christi regnum temporale. *Phil. I. agitur de regno Christi, vbi dicitur: Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Sed ibidem subditur: *Prædicans præceptum eius, vt ostendatur regnum spirituale.* Item Daniel. 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Luc. I. *Et regni eius non erit finis.*

At regna temporalia non sunt æterna. etsi Christus fuit Rex Iudæorum, humano more, dum vixit in terris, certè desinit modo regnare, quando ad Patrem ascendit. Quomodo ergo regni eius non erit finis? Et cum idem regnum occupatum fuerit paulò post à Romanis, deinde à Saracenis, & nunc à Turcis teneatur, quo pacto impletum est, quod dixit Daniel, & regnum eius alteri populo non tradetur? Non igitur Christus Rex fuit temporalis Iudææ, sed Rex spiritalis Ecclesiæ; cuius regni figura fuit regnum temporale Davidis & Salomonis. hac enim ratione dedit Christo Pater sedem David patris sui, vt regnaret in domo Iacob in æternum. Sed

Sed iam explicanda est assumptio primi argumenti. Dicitur igitur, Papam habere illud officium, quod habuit Christus, cum in terris inter homines humano more viueret. Neque enim Pontifici possumus tribuere officia, quæ habet Christus, ut Deus, vel ut homo immortalis & gloriosus, sed solum ea, quæ habuit ut homo mortalis. Quia enim Ecclesia ex hominibus constans, indiget capite visibili, & more humano viuente, ideo Christus quando desuit more humano viuere, id est, post resurrectionem, reliquit Petrum loco suo, qui nobis exhiberet illam Christi gubernationem visibilem & humanam; quam Ecclesia habuerat ante Christi passionem; ut patet ex illis verbis, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Adde, quod neque habet Pontifex omnem potestatem prorsus, quam habuit Christus, ut homo mortalis. Ille enim, quia Deus & homo erat, habuit quandam potestatem, quam dicunt excellentiæ, per quam præerat tam fidelibus, quam infidelibus, Papæ autem solum oues suas, id est, fideles, commisit. Præterea Christus poterat Sacramenta instituere, & miracula facere propria auctoritate, quæ non potest Pontifex. Item, poterat absolvere à peccatis sine Sacramentis, quod Papa non potest. Solum ergo Pontifici illam potestatem communicauit, quæ puro homini communicari poterat, & quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, ut sine impedimento vitam æternam consequi possent. Sequitur igitur euidenter ex eo, quod Christus, ut homo mortalis, non habuit vllum temporale regnum, nec Pontificem, ut Christi Vicarium, tale aliquod regnum habere.

CAPVT V.

*Soluuntur argumenta contraria.*

**S**ed occurrunt quidam, atque obiiciunt PRIMO verba Domini, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.* Hinc enim colligi videtur, Christum habuisse spirituale & terrenum regnum. Vtriusque autem regni clauis Petro tribuit, ut NICOLAUS ait in epistola ad Mediolanenses: & habetur in decreto

d. 22. can. oues: *Christus*, inquit, *B. Petro*, *Vita aeterna* clauget *terreni simul & caelestis imperij iura commisit.*

**R E S P O N D E O;** potestatem, de qua hîc loquitur Dominus, non esse potestatem temporalem, vt Regum terrenorum, sed vel tantum spiritualem, vt B. Hieronymus & B. Anselmus proponunt, qui hunc esse volunt sensum eorum verborum *est mihi omnis potestas in caelo & in terra*; id est, vt in caelo Rex sum Angelorum, ita per fidem regnem in cordibus hominum, vel (vt addit Theophylactus) esse potestatem quandam summam in omnes creaturas, non temporalem, sed diuinam, vel diuinæ simillimam, quæ non potest committi homini mortali.

Ad testimonium Nicolai dico, hunc habere sensum, *Christus Petro terreni, simul & caelestis imperij iura commisit*, id est, *Christus Petro concessit*, vt quod ille solueret, aut ligaret in terris, esset solutum aut ligatum & in caelis. Alludit enim Nicolaus ad verba Domini Matt. 16. Nec possumus aliter respondere, nisi velimus Nicolaum II. repugnare Nicolao I. qui in epistola ad Michaëlem disertè docet, *Christum distincte* actus, officia, & dignitates Põtificis & Imperatoris, nec Imperator iura Pontificis, aut Pontifex iura Imperatoris usurperet vsurpare.

**S E C U N D O,** obiiciunt Scripturam Luc. 22. vbi Dominus duos gladios Petro concedit. Cùm enim discipuli dicerent *Ecce duo gladij hîc*; Dominus non ait, nimis est, sed, *sanctus*; quare B. BERNARDVS lib. 4. de confider. & BONIFACIVS VIII. in extrauaganti, Vnam sanctam, de maiestate & obedientia. ex hoc loco deducunt, Pontificem duos gladios a Christi institutione habere.

**R E S P O N D E O;** ad literam nullam fieri mentionem in eo loco Euangelij, de gladio spirituali, vel temporali Pontificis, sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse discipulos, tempore passionis suæ in iis angustiis, & meruissè discipulos fuisse, in quibus esse solent, qui tunicam vendunt, vt remant gladium; vt ex Theophylacto, aliisque Patribus colligitur. Porrò B. Bernardus & Bonifacius Papa mysticè interpretati sunt hunc locum, nec volunt dicere, eodem modo habere Pontificem gladium vtrumque, sed alio & alio modo, vt postea exponemus.

**TERTIUM** argumentum; Omnes lites & contentiones, tam spirituales, quam temporales ad iudicium summi Pontificis pertinent; nam id habetur expressè Can. Quicumque litem, & Can. Quæcunque contentiones. II. q. I.

**RESPONDEO;** ex illis Canonibus priorem esse Theodosij Imperatoris, qui ex pietate, non ex debito id honoris Ecclesie detulit, præterea non soli Romano Pontifici, sed omnibus Episcopis eo Canone datum esse, vt iudicare possent ciuiles causas, quæ ad ipsos deferrentur. Denique, iam esse abrogatum per alios Canones, vt Glossa ibidem asserit. Posteriores Canonem, perspicuum est, non esse Principis alicuius, qui posset leges condere, sed particularis Episcopi, incertæque auctoritatis, & propterea notari per vocem (Palæa) & præterea posset intelligi sano modo, id est, de omnibus contentionibus, quæ non possunt terminari per seculares Iudices, quia nimirum vel Iudex non vult administrare iustitiam, vel altera pars non vult parere: tunc enim causæ deuoluuntur ad iudicium Ecclesie per viam correctionis fraternæ, vt Innocentius III. rectè docet c. Nouit, de iudiciis.

**QUARTUM** argumentum; Vacante imperio, summus Pontifex in administratione succedit, & imperiali vtitur potestate, donec alius fuerit Imperator electus, vt habetur ex Innocentio III. cap. Licet, de foro competenti, & ex Concilio Viennensi, Clement. pastoralis, de sententia & reuocata: ergo signum est, imperatoriam potestatem à summo Pontifice, tanquam à summo temporali Principe, dimanare.

**RESPONDEO;** Pontificem succedere Imperatori, vacante Imperio, non in omnibus rebus, sed solum in auctoritate iudicandi, & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore iudicari solent, & quæ non patiuntur facillè moram. Ratio autem huius non est, quia Pontifex sit summus Princeps temporalis, sed quia causæ omnes, quæ non possunt definiri per temporales iudices, deuoluuntur ad iudicem spiritualem, vt infra dicemus, & iam ex parte diximus.

Argumentum postremum, S. Thomas in lib. 2. de regimine Principum cap. 10. & 19. affirmat, summum Pontificem iure diuino habere spiritualement & temporalem potestatem in toto orbe terrarum, vt supremum totius mundi Regem, aded vt



etiam tales omnibus Christianis possit imponere, ac castra destruere, pro conseruatione Christianitatis. Idem etiam S. Thomas in 2. sentent. dist. 44. prope finem, dicit, in Papa esse apicem vtriusque potestatis, spiritualis & temporalis. Sequuntur autem S. Thomam pluri alij Doctores, vt hæc sententia communis apud Theologos dici possit. **S P O N D E O.** Non sine causa viri aliqui docti dubitant auctore librorum de regimine Principum, qui habentur in opuscula S. Thomæ. nam non esse S. Thomam eorum librorum auctorem multa ostendunt, sed præcipue id quod habetur in lib. 3. cap. 20. de successione Adolphi & Alberti Imperatorum. scribit enim auctor eorum librorum, suo tempore accidisse, vt Adolphus Rodolpho, & Albertus Adolpho succederet. Constat autem sanctum Thomam obiisse anno salutis M. C C. LXXIV. Adolphum autem successisse Rodolpho anno M. C C. XCII. & Albertum Adolpho anno M. C C. XCIX. neque in his temporum supputationibus vlla sunt chronologorum dissensiones. Fieri igitur non potest, vt sanctus Thomas eorum librorum sit auctor, cum tot annis ante Adolphi & Alberti Imperium de vita migrauerit. Sed quæque eorum librorum auctor fuerit, non videtur a sententia nostra dissidere, nisi fortè in modo loquendi. Quamuis enim aliquando dicat, summum Pontificem in temporalibus omnibus potestatem habere; tamen multis in locis explicat se, ac docet, Potestatem summi Pontificis proprie, & directè spirituales esse, sed per eam disponere posse de rebus temporalibus omnium Christianorum, cum id requiritur ad finem spiritualis potestatis, cui subordinantur fines temporalium omnium potestatum. sic igitur loquitur libro primo, capite decimoquarto. Huius ergo Regni (spiritualis videlicet, quod Christus instituit) ministerium, vt a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed sacerdotibus esse commissum, & præcipue summo sacerdoti successori Petri, Christi Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino Iesu Christo. sic enim ei ad quem finis vltimi cura pertinet, subditi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & eius Imperio dirigi. Hæc ille. Qui clarissimè distinguit regna terrena, quæ habent pro fine pacem temporalem è regno spiri-

tuali Christi, & eius Vicarij, quod pro fine habet vitam æternam. Rursus idem auctor lib.3. cap.13. Satis, inquit, apparet, quod dominium Christi ordinatur ad salutem animæ, & ad spiritualia bona, licet à temporalibus nō excludatur, eo modo quoad spiritualia ordinantur. Idem in eodem lib.3. cap.15. Est, inquit, & alia ratio, quare Dominus noster statum humilem assumpsit, quamuis Dominus mundi, ad insinuandam videlicet differentiam inter suum, & aliorum principum dominium. quamuis enim temporaliter esset Dominus orbis, directè tamen ad spiritualem vitam suam ordinavit principatum. hæc ille, quibus verbis significat, Christum habuisse quidem Dominium temporale totius mundi, sed indirectè, directè autem solum dominium spirituale. quare in eodem lib.3. cap.19. Non dicit auctor ille, posse Pontificem summū absolutè imponere tales omnibus Christianis, & castra, ciuitatesque destruere: sed tantum in casu, quo id requireret conseruatio Christianitatis. At quod faciendum sufficit ea, quam summus Pontifex habet, amplissima spiritualis potestas in omnem Christianum orbem. Ad illud autem quod S. Thomas scribit in 2. sentent. d.44. esse videlicet in Romano Pontifice apicem vtriusque potestatis, spiritualis & temporalis, respōderi potest duobus modis. Primò loqui S. Thomam de potestate, quam Romanus Pontifex habet in ditione temporalis Ecclesiæ Romanæ. Dixerat enim paulò antea in iis quæ pertinent ad salutem animæ magis obediendum esse potestati spirituali, quàm seculari; contra verò in iis quæ pertinent ad bonum ciuile, magis obediendum esse potestati seculari, quàm spirituali. Deinde subiungit exceptionem, nisi fortè potestati spirituali etiam potestas secularis coniungatur, vt in Pontifice Romano, in quo est apex vtriusque potestatis. Quia enim Pontifex Romanus non solum est Pastor Ecclesiæ; sed etiam est Princeps secularis multarum prouinciarum, ideo in illis prouinciis, tum in spiritualibus, tum in ciuilibus, magis obediendum est summo Pontifici, quàm vlli alteri potestati, siue spirituali, siue seculari. Secundò responderi potest, velle S. Thom. in Papa esse apicem vtriusque potestatis respectu totius orbis Christiani, sed non eodem modo; apicem enim spiritualis potestatis esse in eo directè, ac per se; apicem verò potestatis secularis esse in eodem indirectè, &

consequenter. neque enim probabile est, sanctum Thomam existimasse, in rebus merè ciuilibus, magis obedendum esse summo Pontifici, quàm proprio Regi, etiam in prouinciis Romanæ Ecclesiæ temporaliter modò subiectis: conarium enim apertè colligitur ex rescriptis ipsorum Pontificum supra citatis, quibus sanctus Thomas sine dubio non agnoscit. Id igitur solum voluit sanctus Thomas, vt in rebus ciuilibus magis obediatur summo Pontifici, quàm Principi seculari, si ex rebus illis ciuilibus pendeat salus animarum, non autem absolutè, quoniam potestati spiritali summi Pontificis amplissimæ coniuncta est, saltem indirectè, & consequenter, amplissima potestas disponendi de rebus temporibus omnium Christianorum, vt in sequenti capite demonstrabimus. Porrò hanc esse mentem sancti Thomæ persuadet tum hi, tum quod supra notauimus, testimoniū illud sancti Thomæ, quo affirmat, clericos esse exemptos à tributis principum secularium: tum consensus sectatorum eiusdem sancti Thomæ. video enim summo consensu doceri à discipulis sancti Thomæ sententiam illam, quæ tribuit Pontifici potestatem in temporalia, solùm indirectè, & consequenter, vt patet ex Petro de Palude, Ioanne de Turrecremata, Iohanne Parisiensi, Thoma Caietano, Francisco Victoria, Dominico à Soto, Bartholomæo Medina, & aliis; quos non est vltimo modo credibile à vestigiis sancti Thomæ in tanta recessitate reuoluisse. Neque difficile esset, alios Theologos, qui contrariam sententiam tueri videntur, ad concordiam cum ceteris reuocare. nam ipse etiam Augustinus Triumphus, qui apertissimè tribuere videtur summo Pontifici temporariam potestatem in orbem terrarum vniuersum, explicat se tamen in quæst. i. de potestate Pontificis art. 7. in resp. ad vltimū, vbi dicit, potestatem temporalem aliter esse in Pontifice, ac in Rege: in Pontifice enim esse vt in confirmare & corrigere, in Rege verò vt in administrante. & clarius artic. 8. semper, Papam habere spiritualem potestatem, sed per eam disponere etiam de temporalibus. & art. 9. demonstrat Christum non fuisse Regem temporalem, sed spiritualem.

Pari ratione Aluarus Pelagius, videtur quidem in prima parte sui operis de planctu Ecclesiæ art. 13. & Christum, & eius Vicarium Regem temporalem totius mundi facere voluisse.

tamen in secunda parte eiusdem operis artic. 17. & aperte & copiose docet, Christum in terris non habuisse temporale dominium totius mundi, sed regnum spirituale tantum, & Romanum Pontificem Christi Vicarium directe ac proprie non habere potestatem temporalem, sed spirituales: quamvis per eam possit etiam temporalia gubernare, cum id requirit necessitas spiritualis. Sic etiam Durandus in libro de origine iurisdictionum quest. 3. in responsione ad 3. argumentum habet hæc verba, Dicendum est, quod qui dicit, Christum non habuisse omnem potestatem spirituales, & temporales, contradicit Evangelio. & infra, post resurrectionem Christus commisit Petro regimen Ecclesie totum, quantum necessarium erat, & expediebat ad regimen totius Ecclesie: & quia utraque potestas temporalis & spiritualis necessaria est, ideo utramque potestatem contulit Petro. hæc ille, qui paulo infra explicat se, & ait: Isti sunt veri termini iurisdictionis spiritualis & temporalis à fundatione Ecclesie, quos transgredi non licet, quia iurisdictionis temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit: iurisdictionis verò spiritualis se extendit primo, & principaliter ad spiritualia, secundo & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem. Et infra: Nec propterea dicere intendimus, quod Christiani Principes, seu Reges ab Ecclesia teneant terras suas, siue Regna in feudum, sicut aliqui quandoque male crediderunt. sed solum præcisè volumus dicere, quod regimen Regum, & quorumcunque Principum Christianorum subest regimini Ecclesie in tantum, quod si cedat in subuersionem fidei aut bonorum morum, correctio, & directio ipso iure pertinet ad Ecclesiam. hæc ille.

Sanctus quoque Bonauertura in libro de Ecclesiastica hierarchia, parte 2. cap. 1. scribit, summum Pontificem posse Imperatorem, & Reges deponere, ut qui supremum habeat in orbe Christiano potestatem. Et tamen ipse idem in eodem libro partis primæ, capite tertio, propè finem dicit, potestatem Episcoporum esse purè spirituales, potestatem autem Regum purè temporales. & cap. 1. partis secundæ iterum repetit, potestatem sacerdotalem, & ipsius etiam summi Pontificis esse penitus spirituales, sed maiore temporali, ita ut temporales

poralis sit subiecta spiritali, non contra. quæ est sententia, & confessio omnium Catholicorum. Denique, vt omnium recentiores, primi qui temporalem potestatem summo Pontifici ex Christi institutione tribuunt, videntur esse Hugo de S. Victore in 2. lib. de Sacramentis, parte 2. cap. 4. & S. Bernardus lib. 4. de consideratione, cap. 4. hos enim sequuntur Alexander, Bonauentura, Henricus, Durandus, & alij probatores. Porrò Hugo scribit quidem à potestate spiritali, quæ in summo Pontifice potissimum residet, corrigi & iudicari temporalem Regum potestatem; tamen in eodem loco dicitur verbis scribit, caput potestatis temporalis esse Regem, quem admodum caput potestatis spiritalis est Papa. Sanctus vero Bernardus lib. 4. de consideratione, vtrumque gladium spirituales, & temporales dicit esse summi Pontificis: tamen in multis locis eiusdem operis apertè demonstrat, Pontificis maximi potestatem propriè spirituales esse, non temporales. lib. 1. de considerat. cap. 5. In criminibus, inquit, non in confessionibus est potestas vestra. lib. 2. cap. 5. Esto, inquit, vti quacunque ratione hæc tibi vendices (bona videlicet temporalia, quæ habet Ecclesia ex dono Principum terrenorum) non Apostolico iure. nec enim ille tibi dare, quod non habuit potuit. & cap. 6. Exi in mundum. ager enim est mundus, quæ creditus tibi. exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus. lib. 3. cap. 1. Eis (Apostolis videlicet) in hereditatem. ita tu hæres, & orbis hereditas. At quatenus hæc te portio contingat, aut contigerit illos, id bene consideratione pensandum. non enim per omnem reos mundum, sed sanè quadantenus, vt mihi videtur, dispensatio super illum credita est, non data possessio. Denique in 4. lib. 4. cap. 4. vtrumque gladium tribuit S. Bernardus Ecclesie, sed spirituales ponit in manu Pontificis, temporales in manu Principum terrenorum, vtrumque tamen dicit esse Ecclesie, tum quia vterque seruire debet Ecclesie, tum quia gladius temporalis gladio spiritali subiectus est, vt in sequenti capite declarabitur.



## CAPVT VI.

*Papam habere summam temporalem potestatem indirectè.*

**E**XPLICANDA est sententia Theologorum, deinde etiam probanda. Quantum ad PRIMVM, asserimus, Pontificem, vt Pontificem, etsi non habeat vllam merè temporalem potestatem, tamen habere in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum. Id quod permulti explicant per similitudinem ad artem frænificatoriam & equestrem, & similes. Vt enim duæ illæ artes sunt inter se diuersæ, quia distincta habent obiecta, & subiecta, & actiones; & tamen quia finis vnus ordinatur ad finem alterius, ideo vna alteri præest, & leges ei præscribit, ita videntur potestas Ecclesiastica & politica distinctæ potestates esse, & tamen vna alteri subordinata, quoniam finis vnus ad finem alterius natura sua refertur.

At hæc similitudo non est omnino conueniens. Nam in illis artibus inferior est solùm propter superiorem, ad eò vt sublata superiore tollatur continuò etiam inferior. Si enim non sit ars equestris, certè superuacanea est ars frænorum faciendorum. At potestas politica non est solùm propter Ecclesiasticam; nam etiam si Ecclesiastica non esset, adhuc politica esset, vt patet in infidelibus, vbi est vera potestas temporalis, & politica, & tamen sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam & spirituales.

Est igitur alia similitudo longè aptior in nobis ipsis, qua hoc ipsum explicat Gregorius Nazianzenus in oratione ad populum timore percussum, & Principem irascentem. Et post eum Hugo de S. Victore, lib. 2. de Sacram. part. 2. cap. 4. Thomas Waldensis lib. 2. de doctrinæ fidei, cap. 78. Ioannes Driedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 2. Victoria & Sotus locis notatis. Vt enim se habent in homine spiritus & caro, ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates. Nam caro & spiritus sunt quasi duæ Respub. quæ & separata & coniuncta inueniri possunt. Habet caro sensum & appetitum, quibus respondent actus, & obiecta proportionata, & quorū omnium

finis

finis immediatus est sanitas, & bona constitutio corporis habet spiritus intellectum, & voluntatem, & actus, atque obiecta proportionata, & pro fine, animæ sanitatem, & perfectionem. Inuenitur caro sine spiritu in brutis: inuenitur spiritus sine carne in Angelis.

Ex quo apparet, neutrum esse præcisè propter alterum inuenitur etiam caro adiuncta spiritui in homine, vbi quædam personam faciunt, necessariò habet subordinationem & connexionem. Caro enim subest, spiritus præest, & licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, vt in brutis exercet, tamen quando efficiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat, eamque castigat, & si opus est, indicit ieiunia, aliasque afflictiones, cum detrimento aliquo & debilitatione ipsius corporis: sic cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant, &c. Partiarione si ad finem spiritus obrinendum, necessaria sit aliena carnis operatio, & ipsa etiam mors, spiritus imperare poterit, vt se ac sua exponat, vt in Martyribus videmus.

Ita prorsus politica potestas habet suos principes, leges, iudicia, &c. & similiter Ecclesiastica suos Episcopos, canones, iudicia. Illa habet pro fine, temporalem pacem, ista salutem æternam. Inueniuntur quandoque separata, vt olim tempore Apostolorum, quandoque coniuncta, vt nunc. Quando autem sunt coniuncta, vnũ corpus efficiunt, ideoque debent esse connexa, & inferior superiori subiecta & subordinata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, sed finit omnia procedere, sicut antequam essent coniuncta, demmodo non obsint fini spirituali, aut nõ sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest & debet coercere temporalẽ omniratione, ac ratione quæ ad id necessaria esse videbitur.

Vt autem magis in particulari explicemus hæc omnia comparanda est potestas Papæ spiritualis cum personis iudicium, seu principum secularium; cum legibus eorum ciuilibus; & cum eorum foro & iudiciis.

Quantum ad personas, non potest Papa, vt Papa ordinariè temporales Principes deponere, etiam iusta de causa, eo modo quo deponit Episcopos, id est, tanquam ordinarius Iudex: tamen potest mutare regna, & vni auferre, atque alteri

conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem, vt probabimus.

Quantum ad leges, non potest Papa, vt Papa, ordinariè condere Legem ciuilem, vel confirmare, aut infirmare Leges Principum, quia non est ipse Princeps Ecclesiæ politicus: tamen potest omnia illa facere, si aliqua Lex ciuilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamè Reges non velint eam condere; aut si alia sit noxia animarum saluti, & tamè Reges non velint eam abrogare.

Itaque optima est regula, quam tradit glossa ad cap. Possessor, de regula Iuris in Sexto, quæ talis est, *Quædo de eadem re contrariæ inueniuntur Leges imperatoriæ, & pontificiæ, si materia Legis est res, animarum periculum concernens, abrogatur Lex imperatoria per pontificiam.* Et hoc modo Lex pontificia, quæ habetur c. Finali, de præscriptionibus, abrogauit Legem imperatoriam, quæ habetur in C. de præscriptionibus XXX, vel XL. annorum, etiam cum mala fide, quia nõ poterat seruari sine mortali peccato. At quando materia Legis est res temporalis, nõ concernens animarum periculum, nõ potest Lex pontificia abrogare Legem imperatoriam, sed vtraque seruanda est, illa in foro Ecclesiastico, ista in foro ciuili.

Quantum ad iudicia, non potest Papa, vt Papa, ordinariè iudicare de rebus temporalibus. Rectè enim BERNARDVS Eugenio lib. I. de considerat. dicit: *Habent hac infima & terrena Iudices suos, Reges, & Principes terra. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Item: In criminibus, non in possessionibus potestas vestra.* At nihilominus in casu, quo id animarum saluti necessarium est, potest Pontifex assumere etiam temporalia iudicia, quando nimirum non est vllus, qui possit iudicare; vt cum duo Reges supremi contendunt, vel quando qui possunt, & debent iudicare, non volunt sententiam ferre. Vnde ibidem BERNARDVS: *Sed aliud est, inquit, incidenter excurrere in ista, aliud serò incumbere istis, tanquam dignis tali, & talium intentione rebus.* Et INNOCENTIUS III. cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, dicit, iurisdictionem temporalem solùm casualiter Pontificem exercere.

CAPVT



## CAPVT VII.

*Rationibus probatur Theologorum sententia.*

**H**Æc igitur sententia dupliciter probari potest rationibus & exemplis. **P** R I M A ratio eiusmodi; Potestas ciuilis, subiecta est potestati spirituali, quando vtraque pars est eiusdem Reip. Christianæ; ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. omnis enim superior imperare potest inferiori suo.

Quod autem potestas politica non solum, vt Christiana, sed etiam, vt politica, sit subiecta Ecclesiasticæ, vt **P** R I M O, demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet: quia felicitas temporalis non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet in felicitatem æternam: constat autem ex Aristotele lib. 1. Ethic. cap. 1. ita subordinari facultates, & subordinantur fines.

**S** E C V N D O, Reges & Pontifices, Clerici & Laici, non faciunt duas Respub. sed vnã, id est, vnã Ecclesiam, sunt enim omnes vnũ corpus, Rom. 12. & 1. Corinth. 12. at in omni corpore, membra sunt connexa, & dependentia vnũ de alio: non autem rectè asseritur, spiritualia pendere à temporalibus, ergo temporalia à spiritualibus pendent, illi siquæ subiaciuntur.

**T** E R T I O, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali.

Neque satisfaceret, qui responderet, teneri Principem illum ad mutandam rationem suæ administrationis, non propter subiectionem, aut subordinationem ad spirituales potestates, sed solum propter ordinem caritatis, quo tenentur antepone re maiora bona minoribus: Nam propter ordinem caritatis non tenetur vna Respub. pati detrimentum, ne simile detrimentum patiat alia Republica nobilior. Et vnus priuatus, qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione suæ Republicæ, non tenetur tamen similiter facere propter

Rem.

Rempubliam alienam, quamuis nobiliorem. Cùm ergo teneatur Respublica temporalis pati detrimentum propter spiritualem, signum est, eas non esse duas diuersas, sed vnus & eiusdem partes, & vnã alteri subiectam.

Neque etiam valet, si quis dicat, Principem temporalem teneri pati detrimentum pro bono spirituali, nõ propter subiectionem ad Rempubliam spiritualem, sed quia alioqui noceret suis subditis, quibus malum est amittere spiritualia pro temporalibus: Nam etiamsi non subditi, sed homines alterius regni patiãtur notabile damnum in spiritualibus, propter administrationem temporalis alicuius Regis Christiani, tenetur ille mutare suum modum administrandi; cuius rei nulla alia ratio reddi potest, nisi quia sunt eiusdem corporis membra, & vnũ alteri subiectum.

SECUNDA RATIO; Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ: ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum, sed necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus: quia alioqui possent mali Principes impunè fouere hæreticos, & euertere religionem, igitur & hanc potestatem habet.

ITEM, potest quælibet Respublica, quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reipub. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immò etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando nõ potest aliter se defendere ab eius iniuriis, ergo multò magis poterit spiritualis Respub. imperare temporali Reipub. sibi subiectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes, atque alios instituere, quando aliter nõ potest bonum suum spirituale rueri. & hoc modo intelligenda sunt verba S. Bernardi lib. 4. de consideratione, & Bonifacij VIII. in extrauaganti, Vnam sanctam, de maiestate & obedientia, vbi dicunt, in potestate Papæ esse vtrumq; gladium. Volunt enim significare, Pontificem habere per se & propriè gladium spiritualem, & quia gladius temporalis subiectus est spirituali, posse Pontificem Regi imperare, aut interdicare vsum gladij temporalis, quando id requirit Ecclesiæ necessitas.

Sic enim habent B. BERNARDI verba, quæ Bonifacius imitatus est: *Quid tu* (inquit, Papam alloquens) *deus sperare gladium tentes quem semel iussus es ponere in vaginam. quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur arde- re Verbum Domini, dicentis sic; Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsit an nutu, etsi non tu manu euaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertinet, dicentibus Apostolis; Ecce gladij duo hic: non respondet Dominus; Satis est, sed, Nimis est. Vterq, ergo Ecclesia, & immu- rialis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, ut militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum im- peratoris. Vbi etiam notandum, quòd cum hæretici repugnant Bonifacij extrauagatē, ut erroneam, arroganter, tyrannicam (sic enim de ea passim loquuntur) monendi sint, ut cogitent eadem esse Bernardi verba in libris de consideratione, vbi tamen sine adulatione loquitur, ut Calvinus lib. 4. Instit. cap. 11. §. 10. dicat, ita loqui in libris illis Bernardum, ut veritas ipsa loqui videatur.*

TERTIA RATIO; Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere liberos ad suam hæresim, vel infidelitatē: at iudicare, an Res pertrahat ad hæresim, nec ne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis: ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.

Probatum huius argumenti propositio ex cap. 17. Deut. ubi prohibetur populus eligere Regem, qui non sit de fratribus suis, id est, nō Iudæum, ne videlicet pertrahat Iudæos ad idolatriam, ergo etiam Christiani prohibentur eligere Regem non Christianum. Nam illud præceptum morale est, & naturali æquitate nititur. R V R S V M, eiusdem periculi & damni est eligere non Christianum, & non deponere nō Christianum, ut notum est: ergo tenentur Christiani non pati super se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum a fide. Adde autem istam conditionalem, propter eos Principes infideles, qui habuerūt dominium supra populum suum, antequam populus conuerteretur ad fidem. Si enim tales Principes non conentur fideles à fide auertere, non existimo posse eos priuari suo dominio. Quanquam contrarium sentit B. Tho-

B. Thomas in 2.2.q.10.art.10. At si isti idem Principes conentur auertere populum à fide, omnium consensu possunt & debent priuari suo dominio.

Quòd si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Dioclerianum, & Iulianum Apostaram, ac Valentem Arianū, & similes, id fuit quia deerant vires temporales Christianis. Nam quòd alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo 1. Corint. 6. vbi iubet constitui nouos iudices à Christianis temporalium caussarum, ne cogerentur Christiani caussam dicere coram iudice, Christi persecutore. Sicut enim noui iudices constitui potuerunt, ita & noui Principes & Reges propter eandem caussam, si vires adfuissent.

Præterea tolerare Regem hereticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo. *Qualis enim est Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Ecclesiast. 10. vnde est illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Et experientia idem docet; nam quia Hieroboam Rex idololatra fuit, maxima etiam regni pars continuò idola colere cœpit, 3. Reg. 12. & post Christi aduentum, regnante Constantino, florebat fides Christiana; regnante Constantino, florebat Arianismus; regnante Iuliano, iterum reffloruit Ethnicismus; & in Anglia nostris temporibus regnante Henrico, & postea Eduardo totum regnum à fide quodammodo apostaruit; regnante Maria, iterum totum regnum ad Ecclesiam rediit; regnante Helizabetha, iterum regnare cœpit Calvinismus, & vera exulare religio.

At non tenentur Christiani, immò nec debent cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem. Nam quando ius diuinum & ius humanum pugnant, debet seruari ius diuinum omisso humano: de iure autem diuino est, seruare veram fidem & religionem, quæ vna tantum est, non multa: de iure autem humano est, quòd hùc aut illum habeamus Regem.

Denique, cur nõ potest liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, si coniunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, vt apertè deducit ex Paulo 1. ad Cor. 7. Innocentius

tius III. cap. Gaudemus, extra de diuortii: Non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quàm Regis in subditos, sed aliquanto etiam maior.

**QUARTA RATIO;** Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum patre oppresso, vel tacito, vt scepra sua subiiciant Christo, & possunt se Christi fidem seruaturus & defensuros, etiam si bona regni perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut reipsum obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi a participatu; nec vlla eis iniuria fiet, si deponantur. Nam nõ est idoneus Sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo leuare, & propter ipsum amittere quidquid habet, ait enim Dominus Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Præterea Ecclesia nimis grauiter erraret, si admitteret aliquem Regem, qui vellet impudenter fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, ac euertere religionem.

**QUINTA RATIO;** Cùm Petro dictum est: *Pascere*, Joannis vlt. data est illi facultas omnis, quæ est pastoris necessaria ad gregem tuendum: at pastoris necessaria est potestas triplex, nimirum; Vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit; Altera circa arietes, vt si quâdo cornibus lædant gregem, possit eos recludere & prohibere, ne gregem vltius præcedât; Tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat convenientia pabula: ergo hæc triplicem potestatem habet summus Pontifex.

Ergo tria ducuntur argumenta ex hoc loco: **PRIMUM;** lupo, qui Ecclesiam Domini vastant, hæretici sunt, vt patet ex illo Matthæi 7. *Attendite à falsis Prophetis, &c.* Si ergo Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupo, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arceat per communicationem, & simul iubere populo, ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos.

**ALTERVM** verò sit, potest pastor arietes furiosos destruentes ouile, separare & recludere, Princeps autem est aries furiosus destruens ouile, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, vt multum obsit religioni & Ecclesiæ; vt si Episcopus

tus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergo poterit pastor Ecclesiarum eum recludere, vel redigere in ordinem ouium.

TERTIUM argumentum est, potest pastor, ac debet omnes oues ita pascere, vt eis cōuenit: Ergo potest ac debet Pontifex omnibus Christianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum, secundum statum suum, tenetur, id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum suum debent: debent autem Reges Deo seruire defendēdo Ecclesiam, puniendoque hæreticos & schismaticos, vt Augustinus docet in epist. 50. ad Bonifacium, Leo ep. 75. ad Leonem Augustum, & Gregorius lib. 2. epist. 61. ad Mauritium: Ergo potest, ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes. Vide plura apud Nicolaum Sanderum lib. 2. cap. 4. de visibili Monarchia, vbi etiam multa ex iis, quæ diximus, inuenies.

CAPVT VIII.

*Idem probatur exemplis.*

**N**UNC ad exempla veniamus. PRIMUM est 2. Paralyp. 26. vbi legimus, Oziam Regem, cum Sacerdotum officium vsurparet, à Pontifice fuisse de templo eiectum, & cum propter idem peccatum lepra à Deo percussus fuisset, coactum etiam fuisse ex vrbe discedere, & regnum filio renunciare. Quodenim non sponte sua, sed ex sententia Sacerdotis vrbe, & regni administratione priuatus fuerit, patet, nam legimus Leuitici 13. *Quicūque, inquit Lex, maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Cum ergo hæc fuerit lex in Israël, & simul legamus 2. Paralyp. 26. Regem habitasse extra urbem in domo solitaria, & filium eius in vrbe iudicasse populum terræ, cogimur dicere, fuisse eum ad arbitrium Sacerdotis separatum, & consequenter regnandi auctoritate priuatum. Si ergo propter lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & regno priuare, quare id non poterit modò propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, vt Augustinus docet

cet in quæstionibus Euangel. lib. 2. quæst. 40. præferunt enim  
1. Corinth. 10. Paulus dicat, contigisse Iudæis omnia in  
ra?

**SECUNDUM** est 2. Paralip. 23. vbi cum Athalia tyrannice  
occupasset regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada sacerdos  
vocaui centuriones & milites, & iussit eis, vt Athalam  
ficerent, quod & fecerunt: & pro ea Ioas Regem creauit. quod  
enim Pontifex non suaserit, sed iusserit, patet ex illis verbis  
4. Reg. 11. *Et fecerunt centuriones iuxta omnia, quæ præcepit  
eis Ioiada Sacerdos.* Item ex illis 2. Paralip. 23. *Egressa  
Ioiada Pontifex ad centuriones & principes exercitus,  
dixit eis; Educite eam (Athalam Reginam) extra septem  
pli, & interficiatur foris gladio.* Quod autem causa huius  
depositionis & occisionis Athaliæ non solum tyrannis  
fuerit, sed etiam quod foueret cultum Baal, patet ex illis ver-  
bis, quæ ponuntur immediatè post eius occisionem: *Itaque,  
inquit Scriptura, ingressus est omnis populus domum Baal,  
& destruxerunt eam, & altaria, & simulacra illius con-  
frugerunt: Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecerunt  
ante aras.*

**TERTIUM** exemplum est B. AMBROSII, qui cum Epi-  
scopus esset Mediolanensis, & proinde pastor & pater spiri-  
tualis Theodosij Imperatoris, qui Mediolani sedem suam or-  
dinariè tenebat, primùm excommunicauit eum propter ca-  
dem, quàm Thessalonica à militibus fieri imperauerat: de-  
inde præcepit ei, vt legem ferret, ne sententiæ latæ de eade, vt  
bonorum publicatione, ratæ essent, nisi post triginta dies  
sententiæ pronuntiatione, vt nimirum, si quid per iracundiam  
præcipitanter dictasset, intra tot dierum spatium reuocari  
posset. Scribit hoc Theodoretus lib. hist. 5. cap. 17. At qui non  
potuit Ambrosius excommunicare Theodosium propter  
eandem illam, nisi prius causam illam cognouisset, & iudi-  
casset, licet criminalis esset, & ad forum externum pertine-  
ret: non potuit autem cognoscere, & iudicare eiusmodi cau-  
sam: nisi etiam in foro externo legitimus iudex Theodosij fu-  
isset.

Præterea, cogere Imperatorem ad legem politicam feren-  
dam, & præscribere ei formam legis, nonne manifestè ostendit,  
posse Episcopum interdum temporali potestate uti, etiam

in eos, qui potestatem super alios acceperunt? et si Episcopus quilibet id potest, quanto magis Princeps Episcoporum?

QUARTVM est GREGORII I. in priuilegio, quod concessit monasterio S. Medardi, & habetur in fine epistolarum: *Si quis, inquit, Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; secularium personarum, huius Apostolica auctoritatis, & nostrae praeceptionis decreta violauerit, cuiuscunq; dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.*

QUINTVM est GREGORII III. qui Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proinde multauit eum parte imperij. Fatentur id Magdeburgenses Centur. 8. cap. 10. in vita Gregorij II. sed reprehendunt, Gregoriumq; proditorem suae ipsius patriae fuisse dicunt. At nullum proferunt scriptorem, qui factum hoc Gregorij vituperet, cum nos è contrario habeamus multos, qui laudauerunt vt sanctum, & legitimum, nimirum, Cedrenum, Zonaram, in vita Leonis Isauri, & omnes alios historicos, qui res gestas horum temporum conscripserunt.

SEXTVM est ZACHARIAE, qui rogatus à Primoribus Francorum, Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem, Regem creari iussit. Cuius causa fuit, quia propter foecordiam Childerici, & religioni, & regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur, vt patet ex Cedreno in vita Leonis, Isauri, Paulo diacono lib. 6. cap. 5. de gestis Longobardorum, & S. Bonifacio Episcopo Moguntino in epistola ad Zachariam.

Hoc etiam factum haeretici agnoscunt, & reprehendunt, vt Magdeburgenses Cent. 8. cap. 10. vbi dicunt, Zachariam Papam quasi diuinam auctoritatem sibi proteruè assumpsisse. At nec huius facti vllum inuenire potuerunt in antiquis scriptoribus reprehensorem: nos autem plurimos habemus approbatores, nimirum Adonem, Sigebertum, Reginonem in Chronicis; sed de hac re diximus plura contra Caluinum in secundo libro, cap. 17.

SEPTIMVM exemplum est LEONIS III. qui imperium <sup>1003</sup> transfudit à Græcis ad Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laborari Ecclesiae Occidentali adferre possent. Ex quo factum est, vt licet imperatoria dignitas absolute considerata non sit à Pontifice, sed à Deo mediante iure Gentium,



vt supra ostendimus ex Gelasio, Nicolao, & Innocentio III. tamen Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debeant suum imperium.

Quòd enim hæc potestas sit nunc apud Germanos, abbatifrice est: & licet absolutè non esset necessarium, vt Pape confirmaret Imperatorem, nec vt Imperator Pontifici iuramentum fidelitatis præstaret: tamen à tempore translati imperij in Germanos, vtrumque requiritur, vt patet ex Innocentio III. cap. Venerabilem, extra de electione, & ex Clementina vnica, de iureiurando. neque iniuste hoc requiritur. Quisnam potuit imperium Germanis conferre, propter Ecclesiasticam, potuit etiam certas condiciones adiungere, propter eandem causam, ne videlicet contingeret hæreticum, vel schismaticum creari.

Ad hoc exemplum dupliciter respondent aduersarij, nam alij negant rectè factum, vt Pontifex imperium à Græcis transferret in Germanos, & in hoc numero sunt Magdeburgenses, qui Cent. 8. cap. 10. col. 751. sic aiunt: *Est hæc translatio imperij ex miraculis Antichristi.* Theodorus quoque Bibliander tabula 10. suæ Chronologiæ dicit, Leonem III. vti patet auctoritate, imperium à Græcis ad Germanos transfuisse. Alij verò asserunt, factum quidem iure, sed auctorem translationis non Pontificem, sed populum fuisse Romanum. Ita Marsilius de Padua, referente Pighio lib. 5. hierarch. Ecclesiasticæ, cap. 14.

Ad PRIMOS respondeo, hanc translationem ritè & legitime factam fuisse, apertè cõstare. PRIMO, ex consensu totius orbis Christiani: semper enim omnes Christiani pro veris Imperatoribus habuerunt Carolum Magnum, eiusque successores: nec fuit vnquam vllus Rex Christianus, qui Imperatorem præcedere voluerit, tametsi eum alioqui potentia, & regni antiquitate anteciret. Primi sunt Lutherani, qui sicut populum fide & religione spoliauerunt, ita quoque Imperatorem suum de sede sua derubare moliuntur. SECUNDO, ex felici euentu huius translationis. Vt enim Deus ostenderet iure factum fuisse, multis victoriis Carolum ornauit, regnumque eius florentissimum, & Ecclesiæ vtilissimum esse fecit. TERTIO, ex confessione Imperatorum Græcorum, qui non semel confessi sunt, Romanum Pontificem iure potuisse facere, quod fecit.

fecit. Nam in primis cum audisset Irene Imperatrix, Carolum à Leone appellatum Imperatorem, non solum non reclamavit, sed etiam Carolo nubere voluit, & fecisset, nisi perfidi quidam Eunuchi impediissent, ut scribunt Zonaras, & Cedrenus in vita eiusdem Irenæ.

Deinde, mortua Irena, Nicephorus Imperator, qui ei successerat, Legatos ad Carolum, tanquam Imperatorem, misit, ut scribit Ado in Chronico anni DCCC. III. & paulò post defuncto Nicephoro, Michaël ei succedens, similiter Legatos ad Carolum misit, qui eum Imperatorem palàm salutaverunt, ut scribit idem Ado in Chronico anni DCCC. X. Nec solum Græci, sed etiam Persæ Legatos & munera ad Imperatorem Carolum recens creatum miserunt, ut scribunt Rhegino li. 2. & Otho Frisingensis lib. 5. cap. 31. rursus (ut scribit Blondus lib. 5. decadis 2. & Platina in vita Alexandri III.) Imperator Græcorum Emmanuel, cum audisset Pontificem Alexandrum III. ab Imperatore Friderico in extremas redactum angustias, eidem Pontifici obtulit auxilium, & pecuniarum ingentem vim, si vellet imperium Occidentis, Constantinopolitanis Imperatoribus reddere: respondit autè Pontifex, nolle se ea coniungere, quæ maiores sui de industria, & optima ratione diuisissent. Vbi NOTANDUM est, Emmanuelem non voluisse aliud à Pontifice, quàm titulum imperij. Satis enim sciebat, possessionem ipsam à Pontifice dari non potuisse, sed fuisse armis acquirendam: non autem solum titulum tanto pretio emere voluisset, si eum inanem, vel etiam falsum, & illegitimum esse credidisset.

AD ALIOS, qui dicunt, auctorem translationis non Pontificem, sed populum Romanum fuisse, facile est respondere; nam in primis populus Romanus nunquam ferè habuit Imperatoris creandi potestatem: sed antiqui Imperatores, vel iure hereditario habuerunt imperium, ut Octavianus, Tyberius, Caius; vel ab exercitu creabantur, ut creatus fuit Claudius, Vespasianus, & alij. Et fuisse hanc ordinariam consuetudinem, ut Imperator ab exercitu crearetur, testatur B. Hieronymus epistola ad Euagrium. Vnde exstat Canon Legimus, dist. 93. Tempore autem CAROLI Magni, nullus fuit exercitus Romanorum, qui eum Imperatorem creare potuerit. Solum enim in Italia erant exercitus Græcorum & Longobardorum,

rum, & ij omnes Carolo in fensu, nec iure hæreditario Carolus imperium habuit, vt patet.

DEINDE, si quam habuerunt Romani in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certè amiserunt; quando imperij sedes Constantinopolim translata fuit. Nam deinceps per annos circiter D. hoc est, à Constantino Magno, vixit ad Carolum Magnum, nihil vnquam egit Senatus, populusque Romanus circa Imperatorum creationem.

PRAETerea, auctores omnes, qui de hac re scribunt, vt Zonaras, & Cedrenus in vita Irenæ, Paulus Diaconus lib. 27. rerum Romanarum, Ado in Chronico anni D C C C. Albertus Kranzius in Metropoli lib. 1. cap. 14. Otho Frisingensis lib. 5. ca. 31. Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Lambertus, Sigebertus, Regino, Palmerius, Blondus, omnesque alij Chronologi, vel Historici, Leonem III. asserunt imperium à Græcis in Francos, seu Germanos transfuisse. Quod idem docet Innocentius III. cap. Venerabilem, de electione. *Ad eos, inquit, ius & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenit, qua Romanum imperium in persona magnifici Caroli à Græcis transfuit in Germanos.* Et ibidem subiungit, Principes Germaniæ id apertè recognoscere. Ipse enim Carolus Magnus idem non obscure significauit, cum scriptum à se testamentum, quo filios suos hæredes imperij relinquebat, misit ad Leonem Papam, vt subscriptione sua firmaret, vt scribit Ado in Chronico anni D C C C. IV. Denique idem patet ex confessione Emanuelis Græci Imperatoris, vt supra est annotatum.

OCTAVVM exemplum est GREGORII V. qui sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes: quæ vsq; ad hanc diem seruat. Quod ita esse, præter Blondum decade 2. lib. 3. Nauclerum gener. 34. Platnam in vita Gregorij V. aliosq; multos historicos, asserunt etiam Magdeburgenses Cent. 10. ca. 10. col. 546. his verbis: *Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, vt penes solos Germanos ius esset eligendi Regem, qui post diademata à Romano Pontifice acceptum Imperator, & Augustus appellaretur. Suntq; electores constituti, Moguntinus, Treuerensis, & Coloniensis Archiepiscopi, Marchio Brandenburgensi, Comes Palatinus Rheni, Saxonia Dux, & Rex Boëmiæ. Verum autem*

autem iure Pontifex id fecerit, non aperiunt. Sed si velint, iure id factum, fateri cogentur Pontificem esse Imperatore & Principibus omnibus superiorem, vt patet: si verò dicant nõ iure, sed tyrannicè, iniuriam facient suis patronis, & protectoribus, nimirum Duci Saxonix, Comiti Palatino, & Marchioni Brandeburgensi. Quid enim isti habent maius, quàm electoratum? at non iure habent, si is qui dedit, dare non potuit. Dedisse autem Pontificem, extra controuersiam est.

Est autem hinc annotandum, Onuphrium in lib. de comitiis imperialibus, contra communem historicorum sententiam scripsisse, sanctionem hanc de electione Imperatoris, non Gregorij V. sed Gregorij X. fuisse. Quod etsi ei rei, de qua nunc agimus, non nocet, tamẽ existimo non esse verum. Nã Innocentius III. qui sedit ante Gregorium X. annis LXX. in illo cap. Venerabilem, de electione, indicat iamdudum è sede Apostolica concessum certis principibus Germanix ius eligendi Imperatorem; & Henricus Hostiensis, qui etiam ante Gregorij X. tempora floruit, in commentario huius capituli dicit, Innocentium loqui de septem electoribus. Et Pelagius Aluarus, qui vixit paulò post tempora Gregorij X. ita vt ipsius memoria factum sit quidquid Gregorius X. egit, tamẽ lib. 1. art. 41. de planctu Ecclesix, affirmat à Gregorio V. institutam Imperatoris electionem, quæ nunc in vñ est, & enumerat ibidem septem electores, quos supra nominauimus.

NONVM exemplum est Gregorij VII. qui Henricum IV. imperatorem deposuit, & alium eligi iussit, quod & factum est, vt ipsi etiam Magdeburgenses fatentur Cent. II. cap. 10 in vira Gregorij VII. rectè autem factum hoc fuisse, & cum approbatione, & plausu omnium bonorum, in libro superiore ostendimus, vbi Pontifices aliquot à calumniis hæreticorum vindicauimus.

DECIMUM exemplum est INNOCENTII III. qui Othonem IV. similiter deposuit, vt patet ex Blondo, decade 2. lib. 6.

VNDECIMUM est INNOCENTII IV. qui in Concilio generali Lugdunensi, consentientibus vniuersis Patribus, deposuit Fridericũ II. & vacauit tunc imperium annis XXVII. vt Matthæus Palmerius in Chronico annotauit. Exstat adhuc tota sententia in Fridericum lata, cap. ad Apostolicæ, de senten-

sententia & re iudicata, in sexto. Idem etiam Innocentius IV. dedit Regi Lusitanie coadiutorem quendam, qui regnum administraret; quandoquidem regis negligentia & res publica, & religio in Lusitania detrimentum patiebatur. Id habetur cap. Grandi, de supplenda negligentia praelatorum, in sexto.

**D**VODECIMVM est CLEMENTIS VI. qui Ludovicum VI. imperatorem à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum deposuit. Cuius historiam vide apud Pighium lib. hierar. Eccles. 5. cap. 14. & 15. & apud Robertum Arboricensem tomo 2. theoremate 7. de utroque gladio.

Argumenta aduersariorum partim soluta sunt in 2. lib. de Pontifice, partim ex dictis nullo negotio solui possunt. Vide Ioannem de Turrecremata lib. 2. summae, cap. vi. & penultimo, & Albertum Pighium lib. 5. cap. 15. qui soluunt argumenta quaedam, sed leuia, ac facilia.

### CAPVT IX.

*Non pugnare cum verbo Dei, ut vnus homo sit princeps Ecclesiasticus & politicus simul.*



**V**ANTVM ad tertiam partem quaestionis, quoniam aduersarij, duo quaedam docent de temporali principatu summi Pontificis, quem habet: **P**RIMO, esse possessionem mero latrocinio occupatam; **S**ECUNDO, etiamsi iusto titulo eum haberet, non posse illum iure retinere, quod pugnet cum principatu spirituali. Ita CALVINVS lib. 4. Instit. cap. II. §. 8. & II. Oportet nos probare vtrumque, nimirum posse Pontifici conuenire eiusmodi principatum, & re ipsa iuste habere & possidere, quod habet & possidet.

Igitur quod non repugnet, Pontificem simul esse principem spiritualem, & temporalem alicuius prouinciae, probatur **P**RIMO exemplis Sanctorum, qui inueniuntur reges & principes fuisse. Nam in lege naturae Melchisedech fuit Rex & Pontifex, vt patet ex Gen. 14. & Hebr. 7. immò etiam olim semper primogenitus, Rex & Pontifex erat, vt B. Hieronymus docet in quaestionibus Hebraicis in illud Gen. 49. *Ruben primogenitus meus.* Constat quoque; Noë, Abraham, Isaac, Iacob,

præfuisse suis tam in iis, quæ ad religionem, quàm in iis, quæ ad politicam vitam pertinebant.

DEINDE Moses, & summus Princeps temporalis, & summus Pontifex fuit, vt ex diuinis literis perspicuum est. Nam Exod. 18. dicitur: *Sedit Moses, vt iudicaret populum.* Et cap. 32. Insuper occidi plurimos de populo propter peccatum idololatriæ. & cap. 40. Adoleuit Domino incensum, quod erat maxime proprium munus Pontificis, vt patet ex lib. 2. Paral. ca. 26. Item Leuitic. 8. consecrauit Moses Aaronem in sacerdotem, sanctificauit tabernaculum, & altare, obtulit sacrificia, & holocausta, quæ solus sacerdos facere potest. Itaq; PHILo lib. 3. de vita Moïsis, in vltimis verbis: *Hæc est, inquit, vita, hic existis Moïsis Regis, Legislatoris, Pontificis, Prophetæ.* Et GREGORIUS Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyssenum: *Moses, inquit, principum princeps, & sacerdotum sacerdos Aaron pro lingua stebatur.* Denique AVGVSTINVS de regno Moïsis ait quæst. 68. in Exod. *Sedebat, inquit, iudicialia sublimitate solus, populo vniuerso stante.* De pontificatu autem quæst. 23. in Leuitic. *Ambo, inquit, summi Sacerdotes erant, Moses & Aaron.*

Præterea Heli & summus Pontifex, & iudex politicus fuit annis XL. vt patet ex lib. 1. Reg. cap. 1. & 4. Deniq; Machabæi, Iudas, Ionathas, Simon, Ioannes, & ceteri vsque ad Herodem simul Pontifices, & Duces politici fuerunt, vt patet ex lib. Machabæorum, & ex Iosepho lib. 12. antiq. & seq.

ProbatuR SECVNDO ratione. PRIMo, potestas Ecclesiastica, & politica non sunt contrariæ, sed vtraque bona, vtraque à Deo, vtraque laudabilis, & vna alteri seruit, ergo non pugnant inter se, ergo simul in eodẽ esse possunt.

SECUNDO, magis diuersa sunt pax, & bellum, quàm bona temporalia & spiritualia; at vnus & idem Rex simul præest senatui & exercitui, togatis & armatis, ergo multò magis poterit vnus præesse in temporalibus, & spiritualibus rebus.

TERTIO, potest vnus Rex gubernare diuersissima regna, quæ diuersos mores, ritus, leges, consuetudines habeant, & pari ratione potest vnus Episcopus regere plurimas Ecclesias, vt patet de Patriarchis antiquis (vt omittam Romanum) quorum quilibet habuit sub se plurimos Episcopos: ergo etiam poterit vnus homo regere vnum episcopatum, & vnum principa-

cipa-

cipatum. Nam vel est difficilius regere episcopatum, quam principatum, vel facilius, vel æquè difficile: si primum, ergo si vnus regit duos episcopatus, à maiori reget vnum episcopatum, & vnum principatum: si secundum, ergo si vnus regit duos principatus, à maiori reget vnum principatum, & vnum episcopatum: si tertium, ergo si vnus regit duos episcopatus, vel duos episcopatus, à simili poterit regere vnum episcopatum, & vnum principatum.

QUARTO qui donauerunt Episcopo Romano, alijsq; Episcopis principatus temporales, pij homines fuerunt, & ea de causa præcipuè à tota Ecclesia commendati sunt, vt patet de Constantino, & Carolo Magno, & Ludouico eius filio, quinde pius appellatus est: quos etiã aduersarij laudant, & contra, qui eiusmodi principatum auferre conati sunt, vt Aistulphus Rex Longobardorum, Henricus IV. & V. Otho IV. Fridericus I. & II. ab omnibus historicis, vt impij, & sacrilegi notantur.

De AISTVLPHO sic scribit ADO in Chronico anni DCC. XXVII. *Aistulphus*, inquit, *Longobardorum Rex nimis præde testamenta dono prædecessorum eius B. Petro collata perripit, & facultates Romanæ Ecclesiæ militibus suis dedit. Et infra: Aistulphus, vt perfidus, omnia mentitus est. Et infra: Aistulphus diuino iudicio dum Senatum pergit, subito percussus interiit.* B. quoq; BERNARDVS epist. 242. ad Rom. vehementer increpat Romanos, quòd ab Eugenio Papa discessissent, causa autem discessionis fuerat, vt ex Platina, & historicis alijs patet, quia Romani nolebant subesse Pontifici in temporalibus, sed more veteri per consules Remp. gubernari volebant. De Henrico IV. vide quæ supra notauimus lib. 4. cap. 13.

Neq; optimi principes fuerunt solùm ij, qui Apostolicam sedem ita ditarunt, sed etiam pleriq; eorum qui eiusmodi opes, & principatum receperunt. Nam Leonem IV. miraculis claruisse scribit Platina, Leonem IX. omnes Scriptores sanctum vocant, & miraculis claruisse scribunt Sigebertus, atq; Otho Frisingensis. Gregorium VII. illustrè miraculis fuisse, atq; etiam virum optimum scribit Lambertus Schaffnaburgensis, & nos de eodem multa diximus libro superiore. Celestini V. vitam sanctissimam, & miraculis plenissimam describit Petrus ab Aliaco Episcopus Cameracensis. Deniq; Adrianum I. Leonem II. Nicolaum I. Innocentium III. aliosque

nonnullos, scriptores omnes laudant, quos tamen satis constat, hunc principatum vna cum pontificatu administrasse.

DE NIQVE probatur VLTIMO experientia. Nam etsi absolute forte presteret, Pontifices tractare solum spiritualia, & reges temporalia; tamen propter malitiam temporum experientia clamat, non solum vtiliter, sed etiam necessario, & ex singulari Dei prouidentia donatos fuisse Pontifici, aliisque Episcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germania Episcopi principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent: sicut ergo in Testamento veteri fuerunt Pontifices sine imperio temporali, & tamen vltimis temporibus, non poterat religio consistere, & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Machabæorum. Ita quoque accidisse videmus Ecclesiæ, vt quæ primis temporibus ad maiestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessario indigere videatur.

IAM VERO quod iure habeat summus Pontifex eum principatum, quem habet, probari posset facile, quia dono principatum habuit. Sic enim scribit ADO in Chronico anni DCC. XXVII. *Insuper Pipinus Rex Raennam, totamq; Pentapolim S. Apostolis Petro & Paulo tradidit.* Et exstat in decreto Gratiani dist. 63. constitutio Ludouici I. Caroli Magni filij in hanc formam: *Ego LVDOVICVS Romanorum Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nota tibi B. Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo domino Paschali Pontifici summo, & successoribus eius in perpetuum, sicut à predecessoribus vestris &sq; nunc in vestra potestate, & ditto tenuistis, & disposuistis Romanam ciuitatem cum ducatu suo, & suburbanis, & territoris eius montanis, & maritimis, littoribus, & portibus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac villis in Thuscia partibus.*

Item LEO Episcopus Hostiensis lib. I. Chronici Cassinensis cap. 9. *Fecit, inquit, idem inlytus Rex (Pipinus) cum filiis suis concessionem B. Petro eiusque vicario de ciuitatibus Italia ac territoris per designatos fines. A Lunis cum insula Corsica, inde in Suranum, in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Rhegium, Mantuam, & montem Silicis, simulque vniuersum exarchatum Raenna, sicut antiquitus fuit, cum provincie Venetarum & Histria: cunctumq; ducatum Spoletinum,*



ac Beneuentanum. Et infra: Demum idem Rex Sna cum Romano Pontifice in Italiam Veniens Rauennam & alias viginti ciuitates Aistulpho memorato sublatas Apostolica sedi subiecit. Idem L E o lib. 3. cap. 48. Anno, inquit, incarnata Dominica M. L. XXIX. Mathilda comitissa, Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam, & Thusciam prouincias Gregorio Papa, & S. R. E. deuotissime obtulit. Et exstant Romae authentica instrumenta harum & similium donationum. Sed etiamsi nihil horum exstaret, abunde sufficeret praecipuo DCCC. annorum. Nam etiam regna, & imperia per latrocinium acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima. Ab eo enim quo iure Iulius Caesar occupauit Romanum imperium, & tamen tempore Tiberij Christus ait Matt. 22. *Redite qua sunt Caesaris Caesari.* Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hispaniam inuaserunt? & tamen quis hoc tempore regna ab illis constituta illegitima esse diceret?

## CAPVT X.

*Soluuntur argumenta contraria.*

**S**UPEREST argumenta soluere. PRIMO obiicit CALVINVS lib. 4. Instit. cap. II. §. 8. illud Matt. 20. *Reges Gentium dominatur eorum, vos autem non sic.* Significat enim Dominus, inquit Calvinus, non modo pastoris officium distinctum esse ab officio principis, sed res esse magis separatas, quam et in vnum hominem coire queant. Et quoniam videbat Calvinus posse obiici templum Moysis subiungit: *Nam quod Moses vtrumque simul sustinuit, primum, raro id miraculo factum est: deinde fuit temporarium, donec res melius componerentur. Vbi autem certa forma a Domino praescribitur, ciuilibis gubernatio ei relinquatur, sacerdos autem iubetur fratri resignare. & merito est enim supra naturam et vnus homo vtriusque oneri sufficiat.*

RESPONDEO dupliciter; PRIMO, Dominum hoc solum instituere meros principes Ecclesiasticos, ac docere, debere eos, vt tales sunt, praesse subditis non more regum & dominorum, sed more patrum & pastorum. Non autem sequitur hinc, non posse vnum, & eundem esse Episcopum & Principem.

Exm.

Exemplum autem Moſis, quod Calvinus conatur elude-  
 re, omnino conuincit. Quod enim ille dicit, raro miraculo  
 id factum eſſe, manifeſtè falſum oſtendunt exempla allata de  
 Melchizedech, Heli, Iuda Machabæo, & aliis. Quod etiam  
 addit, id eſſe factum ad tempus, donec Aaron conſecraretur,  
 falſum eſſe oſtendit B. Auguſtinus quaſt. 23. in Leuit. vbi di-  
 cit, eodem tempore ambos fuiſſe Pontifices Moſem & Aaro-  
 nem; & probatur ex eo quod depoſuit Aaronem Moſes, tan-  
 quam Pontifex, conſecrauitque Eleazarum filium Aaronis  
 in locum eius, vt habetur Num. 20. Et præterea, ſi poſt Aaro-  
 nem ordinatum non poterat amplius in vnã perſonã  
 coire principatus, & ſacerdotium, quomodo Heli per annos  
 XL. fuit ſacerdos, & princeps? quomodo Machabæi per an-  
 nos pluſquam centum?

Dico SECUNDO, Dominum illis verbis non prohibere  
 Episcopis dominatum, qualis eſſe poteſt regum, & princi-  
 pum piorum, ſed qualis eſt regum ignorantium Deum, qui  
 tyranni potius ſunt, quam reges. Id quod patet ex verborum  
 Græcorum proprietate. Nam Matthæus non ait: *κυριεύειν*  
*αὐτῶν*, id eſt, dominantur ſimpliciter, ſed *κατακυριεύειν*, id  
 eſt, violenter dominantur. Sicut 1. Pet. 5. *Non dominantes in*  
*cleris*, habetur, *μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κληρῶν*. & Io-  
 ſue 15. legimus: *Dixit Caleb, qui percufferit Cariath-sepher,*  
*& cepit eam*, Græcè, *καὶ κατακυριεύσει αὐτῆς*, id eſt, vi  
 dominatus fuerit eius, &c. Vnde 2. Petr. 2. & in epiſtol. Iu-  
 da, videmus hæreticos reprehendi, quod *κυριότητα* contem-  
 nant.

SECUNDO obiicit ibidem §. 9. illud Luc. 12. *O homo quis*  
*me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos?* Dominus  
 reiecit munus iudicandi tanquam non conſentaneum mu-  
 neri prædicatoris, & miniſtri verbi: ſicut etiam Apoſtoli A-  
 cor. 6. dixerunt: *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei,*  
*& miniſtrare menſis.* At non poteſt hæc munera reicere, qui  
 eſt Princeps.

Ad verba Domini responderi poſſet, Dominum in hoc  
 mundo ſuſcepſiſſe perſonã Pontificis, non Principis tem-  
 poralis,

poralis, & illis verbis monuisse simplices Pontifices, ne se misceant alienis negotiis. At melius potest dici, generaliter in utroque loco admoneri Pontifices & Principes, neminuris, & vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur maiora. Hoc modo Iethro cum vidisset Moſem tota die ſedere ad iudicandum, Exod. 18. ſapienter eum admonuit, non ut deponeret principatum politicum, & ſeruaret ſolum Eccleſiaſticum, ſed ut conſtitueret minores Iudices, qui ſatisfacerent populo in rebus leuioribus, & grauora quæque tam politica, quàm Eccleſiaſtica ad ſe referrent. Sic etiam B. Bernardus lib. i. de conſiderat. iisdem verbis Domini in medium adductis hortatur Pontificem, ut iudicia rerum temporali-um aliis dimittat, quam tamen ſciebat iam tunc Principem temporalem fuiſſe.

Sic denique Apoſtoli ita omiſerunt in Hieruſalem curam miniſtrandi menſis, ut tamen præſiderent etiam in temporalibus toti illi Eccleſiæ. Vnde Galat. 2. Petrus, & Iacobus, & Ioannes ſolliciti pro fratribus, qui erant in Hieruſalem, rogant Paulum, & Barnabam, ut memores ſint colligere aliquam elemoſynam, & mittere in Hieruſalem. Illi vero id fecerunt, & collectam pecuniam ipſimet detulerunt, non ad Diaconos præfectos menſis, ſed ad ſeniores, ut habetur Actor. II.

**TERTIO** obiicit Calvinus ibidem §. II. verba B. Bernardi lib. 2. de conſider. *Apoſtoliſ interdicitur dominatum, ut in go tu, & tibi & ſurpare aude aut dominans apoſtoliſ, aut Apoſtoliſ dominatum. Forma Apoſtoliſ hac eſt, interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio.* **RESPONDEO**, Bernardum loqui de Pontifice, ut Pontifex eſt totius Eccleſiæ, & ſecundum id quod habet ex Chriſti inſtitutione. Nam paulò antè dixerat: *Eſto, ut alia quacunque ratione hac tibi vendices, ſed non Apoſtoliſ iure, nec enim tibi ille daret, quod non habuit, potuit, &c.* Itaque vult Bernardus Pontificem, ut paſtor eſt ouium, non debere eis dominari, ſed eas paſcere: at ſicut nihilominus iisdem ouibus, ut ſunt ciues Reipub. dominatur princeps politicus, ita poteſt iſdem dominari eadem ratione Pontifex, ſi ſit eorum politicus princeps.

QUARTO

QUARTO obiicit ibidem §. 14. verba B. Gregorij, qui lib. 4. epist. 44. dicit anathema Episcopo, qui iubet alicui agro more fiscali titulum imprimi. **RESPONDEO;** nihil esse mirandum, si Gregorius noluit Episcopos, nec etiam præfectos patrimoniorum Romanæ Ecclesiæ uti more fiscali in agris Ecclesiæ recuperandis. Nam nondum habuerat Ecclesia politicum principatum, sed possidebat bona temporalia ad eum modum, quo priuati ciues possident. Itaque æquum erat, ut agros, quos suos esse censebat Ecclesia, si fortè ab aliis occuparentur, in iudicio legitimo eos repeteret: non autem more fiscali propria sibi auctoritate vendicaret.

QUINTO obiiciunt alij illud 2. Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quæ verba dicuntur Episcopo. At non potest princeps non se implicare negotiis secularibus. **RESPONDEO;** negotia secularia hoc loco non vocari regimen politicum, sed curam parandi victus, & proinde negotiationes, & mercimonia, & similia. Est enim Græcè, τοῦ βίῃ θεωρηματίας, id est, negotiis vitæ, seu victus. Vbi etiam notandum, non haberi in Græco, nec in omnibus Latinis codicibus illud, Deo, sed generaliter ἢ τοῖς πατρὶσιν. Et est sensus, Dixi ut labores sicut bonus miles Christi. Porro bonus miles non est sollicitus circa victum, & corporis curam, sed comedit, & bibit quando potest, & quomodo potest, dormit humi, vestitur magis ferro, quàm panno, &c. Itaque Apostolus non prohibet regimen politicum, sed nimiam sollicitudinem circa vitam corporalem: & ut bene monuit Chrysostomus, dicuntur hæc à Paulo tam Episcopo, quàm aliis hominibus. Omnes enim, etiam Laici, etiam Reges, milites Christi esse debent.

SIXTO obiiciunt verba Nicolai I. epist. ad Michaëlem, ubi dicit fuisse quidem ante Christi aduentum eosdem Reges, & Pontifices, at Christum verum Regem, & Pontificem ita disiunxisse: *Cum ad verum, inquit, ventum est, & ultra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium & surpauit, &c.*

**RESPONDEO;** Nicolaum noluisse negare, posse Pontifici conuenire temporale aliquod dominium. Nam ipse erat

Pontifex, & simul princeps politicus Romæ & Rauennæ, aliarumque ciuitatum, quas dudum acceperant maiores eius ab Imperatoribus: sed solum voluisse dicere, non conuenire vt idem sit Pontifex totius orbis, & simul Imperator etiam totius orbis. Non quod hoc repugnet Euangelio, & nullo modo possit fieri, sed quia Christus ad conseruandam humilitatem, voluit Pontificem indigere Imperatoris defensione in temporalibus, & simul Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus. Quod autem Christus voluerit, patet ex eo, quod reliquit imperium Tiberio, & Petro solum contulit pontificarum.

*Finis tertiae Controuersie generalis.*

